

gloriae cupidus, incuriosus salutis <sup>1)</sup>. Sed non haec sola praeclara fortitudo est; sed etiam illorum gloriosam fortitudinem accipimus, qui per fidem magnitudine animi obstruxerunt leonum ora, extinxerunt virtutem ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate fortes <sup>2)</sup>, qui non comitatu et legionibus succincti, communem cum multis victoriam, sed nuda virtute animi singularem de perfidis retulerunt triumphum. Quam insuperabilis Daniel, qui circa latera sua rugientes non expavit leones? Fremebant bestiae, et ille epulabatur <sup>3)</sup>.

FORTITUDINEM MAXIME IN ANIMO, ET CONTEMPTU RERUM CONSTARE  
LABENTIUM.

Non igitur in viribus corporis et lacertis tantummodo fortitudinis gloria est, sed magis in virtute animi. Neque in inferenda, sed in depellenda injuria lex virtutis est. Qui enim non repellit a socio injuriam, si potest, tam est in vitio, quam ille qui facit. Unde sanctus Moyses hinc prius orsus est tentamenta bellicae fortitudinis <sup>4)</sup>. Nam cum vidisset Hebraeum ab Aegyptio injuriam accipientem, defendit; ita ut Aegyptium sterneret, atque in arena absconderet. Salomon quoque ait: Eripe eum, qui ducitur ad mortem <sup>5)</sup>. Unde igitur hoc vel Tullius, vel etiam Panaetius, aut ipse Aristoteles transtulerint, apertum est satis. Quanquam etiam his duobus antiquior dixerit Job: Salvum feci pauperem de manu potentis, et pupillum cui adjutor non erat, adjuvi. Benedictio perituri in me veniat. <sup>6)</sup> Nonne hic fortissimus, qui tam fortiter pertulit impetus diaboli, et vicit eum in virtute mentis suae? Neque verò de ejus dubitandum fortitudine, cui dicit Dominus: Accinge sicut vir lumbos tuos, suscipe altitudinem et virtutem, omnem autem injuriosum humiliato <sup>7)</sup>. Apostolus quoque ait: Habetis fortissimam consolati-

1) 2 Reg. 21. 2) Hebr. 11. 3) Dan. 14. 4) Exod. 2 5) Prov. 24. 6) Job. 29. 7) Id. 40.